

enim strictum nomen eiusmodi custodiae satis immerito ac perquam invidiose tribuitur. Testamur pariter D. Pedrinum iam altero anno liberum agere: sed et de aliis duobus Cantonenses litterae ferunt pari eos libertate gaudere.

Circa 4, quoque coram Deo testamur, quia a supremo Ecclesiae pastore sic iussum et ordinatum fuit, humiliter ac venerabunde nos acquiescere, dicentes: Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. Quodque iam alias commotis visceribus nostris super Sinensi ecclesia, tot inter labores sudoresque decessorum nostrorum in Christo genita, educata et custodita professi fuimus, denuo obsecrare: detur alteri dum viva servetur proles, nec divisa interficiatur. Inter haec autem, eheu! emissae ex orco furiae hic personant veluti triumphantes: nec his, nec illis, sed occidatur et pereat.

5. Denique in simili forma testamur, sanctissimi Domini nostri per P. V. A. R^{dam} mandata atque praecepta a R. P. Viceprovinciali nostro, ut primum ea per viam S. Congreg. de propag. fide recepit, illico nobis transmissa et communicata fuisse cum ulteriori iussione, ut superaddito iuramento in verbo sacerdotis humilem omnium ac singulorum observantiam executionemque promptam contestemur. Quod quidem in breviori folio succinctius iam fecimus, et rursum in hac epistola paulo deductius innovamus.

Commendatis autem humilis observantiae subiectionisque testimoniis, secundum ac praeceptum fuit, integre, ut arbitramur, perfuncti, suppliciter nunc P. V. A. R^{dam} oramus atque obtestamur, ut dum illa beatissimo Patri ac Domino nostro coram exponit, simul exhibita hac epistola eundem communis nostro infimorum servorum nomine prostrata confirmet, paratos nos esse mori magis, quam dictatas a Christi vicario leges praevaricari, haud aliter ac superiore anno gemini nostri PP. in Tunkino alter in carceris aerumnis, alter sub capitali suppicio pro sancta fide vitam posuerunt,¹ uti pagina docet separatim adiecta. Affirmabit pariter, nos voti memores, quod Summo Pontifici fecimus, apostolicis ministeriis nunquam nos abdicasse, cuius rei abundans testimonium dicet vel sola, quae nuper iam transmissa fuit et nunc iterum adiungitur, relatio de illustrissima neophytorum nostrorum familia, propter fidem praeteritae aetatis tempore in exilium hinc amandata.² Verum est, a publica sacrorum dispensatione, abstinueramus, gravissimis rationibus, quae plures perscriptae fuerunt, persuasi atque coacti, ne tradidores essemus causae Dei et animarum, sacraque mysteria profanarentur. Easdem rationes P. Ioannes Laureati, tum visitator, coram hac scripto proposuit Ill^{mo} Patriarchae Alexandrino: tantumque abest, ut improbarit

¹ Francesco Bucharelli e Giambattista Messeri.

² La famiglia Sunu, v. sopra p. 564. Contro il gesuita Parrenin, dal quale derivano le notizie su la famiglia Sunu, Thomas tenta (p. 350 ss.) sfruttare il gesuita De Mailly († 1748). Egli però dimentica che l'opera di Mailly (XI, 368 ss.), negli anni 1723-1780, fu elaborata dall'editore Le Roux des Hautesrayes. Anche dalla sua descrizione risulta che a crusa del suo cristianesimo alla famiglia venne inasprita la pena. Essa era senz'altro caduta in disgrazia dell'imperatore.